

non posse quidam uideant, carpere nihilominus audent, quasi aliquid magnopere huc pertinens omissum sit. Etenim Cometas aiunt talia praemonstrare, non insitis in natura sua uiribus, sed aduentitijs: ut signa sint quodam modo artificiosa potius, quam pure naturalia. Etenim accipere eos potestatem certi aliquid praediciendi ab illo sidere, a quo materia illa attracta sit & recta. Quam futilis sit haec reprehensio, planum fiet ex dicendis: si cui ex ante dictis non liquet. Reprehensores istius perinde agunt, ac si credere ipsis teneremur dictantibus, omnes Cometas uel comam, uel barbam, uel caudam, certo alicui sidere uel stellae facere: quo tamen falsius uix dici aliquid potest. Etsi enim hoc aliquando factum scribitur, plerumque tamen Cometae per se consistunt, a sidere nullo reguntur. Cum sidere comam faciunt, cum eodem mouentur, oriuntur, occidunt, circumaguntur: cum per se consistunt, incerto admodum motu feruntur sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, ad latera, &c. Quod si in eo, qui etiamnum apparet, licet obscure (non enim ex toto absumpta est eius materia) non uiderunt, tolerabiles fortasse sint, si uiderunt & dissimulant, aperte malitiam suam produnt. Falsum non minus est illud etiam, quod tanquam uerum & confessum inscite sibi sumunt, sidus aut stellam aliquam, uirtute hac praeditam, ut praedici mortem principis alicuius (exempli causa) possit. Quod si illis daremus, nihilominus incertum maneret, an hanc suam uirtutem per Cometam magis, quam per alia exereret. Quid enim habet Cometa, propter quod aere ac meteoris alij ignitis aptior et habilior ceteri possit ad recipiendum influxum huius significationis? Si materiam spectes, nihil inuenies: si flammam consideres, incassum hinc quoque laborabis.

Quae nunc diximus, eorum summa haec est. Stellae omnes sunt causae uniuersalissimae, sed particularibus istis facultatibus praeditae non sunt. Si etiam talibus ornatę fuissent potestatis, transfundere in res alias non possent: quod alibi argumentis insolubilibus demonstrauimus. Halituum quoque causas non sunt sola sidera, sed multo magis calor in terrę uisceribus.

bus.